



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

IX. De Sacramento Matrimonii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

Magu diquon trahit ad se minus dignum. h. d.

Sanctificatum aurem oleum hoc loco accipimus, non modo quod ipsum totum consecratum est, sed etiam quod est consecrato admixtum a. Postquam hucusque de iis sacramentis, quae quoquo modo necessitatis sunt, tractatum habuimus, reliquum est, ut de iis loquamur, quae dignitatis sunt & voluntatis.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

TITVLVS VIII.

Quid sit ordo. h. d.

Voluntatis Sacramenta sunt (ut paulo ante exposuimus) Ordo sacer, & Matrimonium. Est autem ordo, nihil aliud quam signaculum quoddam Ecclesiae, per quod spiritualis potestas traditur ordinato, de cuius speciebus, differentiis, & gradibus satis videtur superiore libro dictum esse. Vnde solam nunc restat, ut ad matrimonii materiam orationem veramus.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

TITVLVS IX.

Quid sit matrimonium. h. d.

Matrimonium b est viri & mulieris conjunctio, individuam vitae consuetudinem continens, cum divini & humani juris communicatione.

Matrimonium praecedit alia Sacramenta, ratione loci in quo institutum est, temporis, amplitudinis & mysterii. h. d.

Merito inter alia sacramenta matrimonium quoque annumerari meruit, cum ceteris loci, temporis, amplitudinis, & mysterii ratione etiam praecellat. Siquidem ab orbis primordio in paradiso a Deo ipso institutum est, ut esset omnibus etiam infidelibus commune, quod in aliis minime contingit. His illud quoque accidit, quod animorum consensus & corporum commixtio, quae in matrimonio intercedunt, primum quidem charitatem significat, quae consistit in spiritu inter Deum & iustam animam, vel Ecclesiam: alterum vero sacrosanctum conjugium designat, quod inter Christum & Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum.

Bona matrimonii sunt sacramentum, fides, proles, & fornicationis remedium. h. d.

Consequuntur & inde praeter sacramentum, & alia bona, utputa d, fides, & proles, & quod humana infirmitas in ruinam turpitudinis prona, honestate excepta conjugii, minime laeditur. Initiatum autem matrimonium sponcione, consensu ratificatur, & copula consummatur: de quibus singulis distinctius discipiamus.

DE SPONSALIBVS.

TITVLVS X.

Quid sint sponsalia, & unde dicantur. h. d.

Sponsalia e sunt futurarum nuptiarum mentio, & repromissio: & dicta sunt a sponendo, quod per ea sibi invicem se futuros conjuges viri & mulieres spondent.

Sponsalia contrahuntur, verbis, literis, & consensu. h. d.

Contrahuntur autem sponsalia variis modis: utputa, ore, verbis, literis, & consensu. Res contrahuntur per nudam subarrhationem, vel annuli iunctionem. Verbis, ut si inter virum & mulierem promissio super futuro matrimonio intercesserit, veluti altero alteri vice mutua dicente: Ego t te accipiam in meum maritum, & ego te in meam uxorem: live in hunc sensum verba similia protulerint.

a Gl. fin. c. quod in dubiis. extr. de cons. Eccl. b In sum. 27. q. 2. s. sanct. c. illud extr. de presump. & c. de iur. extr. de bigam. d. C. v. m. 27. q. 2. e. C. nostrates. q. 5. gloss. 1. e. licet. extr. de trans. Episc. f. Cap. penult. extr. eod.

Literis, ut cum abientes inter se de futuris nuptiis per Epistolam paciscuntur: quod ipsum & per nuncium, vel procuratorem fieri poterit.

Procurator ad contrahendum matrimonium non potest substituere, nisi hoc habeat in mandatu. h. d.

Procurator a tamen ad hoc specialiter constitutus, ob magnum, quod ex facto tam actus posset periculum imminere, alium substituere non poterit, nisi hoc esse specialiter commissum fuerit.

Si duo impuberes, quorum prudentiam non supplet aetatem, & qui pubertate non sint proximi, vel etiam alter tantum sit impubes, per verba de presenti matrimonium contraxerint, talis contractus resolvitur in sponsalia de futuro: & ex eo inducitur iustitia publica honestatis. h. d.

Consensu b contrahuntur sponsalia: ut cum pubes & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in quibus aetatem prudentia non supplet, matrimonium per verba contraxerint de presenti. Licet enim verba in praesens matrimonium sonent, juristamen interpretatione in sponsalia de futuro resolvuntur. Quo casu dicta sponsalia, licet contrahentes matrimonium celebrare intenderent, conjugium, quod ab initio aetate impediendo, ut matrimonium non tenuit, per adventum pubertatis minime convalescit, nisi per carnis copulam subsequatur, vel alium modum contrahentes cum eisdem perseverantia voluntatis, ad pubertatis tempora pervenisse evidenter constiterit: per dictum tamen contractum, qui valuit ut potuit, non sicuti agebatur, publica honestatis iustitia censetur inducta.

In re denotanda potius effectum attendimus, quam modum. hoc dicit.

Et ideo hoc casu consensus contracta sponsalia dicimus: quia, si verba species, non sponsalia, sed ipsum matrimonium contractum videri poterit. Censuerunt autem iura eos, qui, cum non possent, conjugium de facto contraxerunt, voluisse etiam in casu quo possent, contrahere: ideoque saltem, ut sponsalia, valere conventionem.

Sponsalia contrahuntur tripliciter, pure, in diem, & sub conditione: & qui contraxerunt sponsalia pure, compellendi sunt etiam matrimonium contrahere, & consanguinei contrahentium non debent eorum ipsi contrahentibus contrahere. h. d.

Res adicitur sponsalibus sponsalia, aut pure, aut adjecta die, aut sub conditione. Pure e, ut cum vir & mulier se invicem futuros conjuges pollicentur. Et hoc casu nullus consanguineorum aliquo pacto alterum ex contrahentibus matrimonio sibi copulare poterit: imò qui contraxerunt, ut se invicem recipiant, & mutua conjugali affectione pertractent, moneri, & nisi rationabilis causa obstitet, Ecclesiastica censura compelli poterunt.

Si per contrahentem sponsalia in diem, non stetit quo minus matrimonium contraheret intra terminum, cum alia postmodum matrimonium contrahere poterit. h. d.

Les adicitur sponsalibus cum quis intra certum temporis spatium aliquam se ducturum in uxorem convenit: in qua specie, si per eum non steterit, quo minus intra praefixum terminum cum eadem matrimonia contraheret, libere ad nuptias alterius transire poterit.

Sponsalia contracta sub conditione, evanescent conditione deficiente, nisi ab ea recessum fuerit. h. d.

Sub conditione celebrantur sponsalia, cum quis, si quid fieri vel contigerit, nuptias se contracturum pollicetur: veluti si dictum fuerit, Ego d te in uxorem accipiam, si centum milia dederis: aut, si pater meus consenserit, quibus conditionibus deficiente, ad matrimonium quis compelli non poterit, nisi consensus de praesenti, aut carnalis sit inter eos commixtio subsequuta, cum his casibus a conditionibus recessum videatur.

a Ca. si. de procur. in 6. b Ca. 1. 4. idem. de despons. impub. in 6. c C. 2. & c. ex literis. cl. secunda. extr. ex. tit. d C. de illis. & cap. per unum. extr. de conditio. appo.

